FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

32

FRANCISCI ERNESTI BRVCKMANNI,
MED. DOCT.

EPISTOLA ITINERARIA XXXII.

SISTENS

MEMORABILIA MVSEI RITTERIANI,

AD

VIRVM PRÆNOBILISSIMVM, AMPLISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM DOMINVM

DOMINVM

J. H. MEVSCHEN,

MED. DOCT. ET POLIATRVM INCLYTÆ VRBIS OSNABRVG. CONSVLTISSIMVM, PHYSICVM CELEBERRIMVM,

FAVTOREM COLENDISSIMVM.

CVM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENBVTTELÆ. M D CC XXXIIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIR PRÆNOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME,

FAVTOR ET AMICE PLVRIMVM COLENDE!

MVſea & rerum naturalium artificialiumque collectiones æque bene locum, ac bibliothecæ, in ſphæra literaria, *Vir Prænobilisſime*, merentur, ſororioque certe vinculo conjungi poſſent, imo, noſtra ſententia, priores illis tribuere conveniret partes, cum libri ſaltim literis expreſſam & ſcriptam exhibeant variarum rerum congregationem, hæc autem, muſea nempe, vivum & naturale omnium corporum admirandorum archetypum oculis manibusque ſuppeditent, quare & pluribus doctis poſteriora cum libraria conjungere placuit & adhuc placet. His merito annumerandus Con-Rector Lycei Regii Ilfeldiaci, quod ad fauces Sylvæ Hercyniæ uno Northuſa lapide diſtat, celeberrimus, **ALBERTVS RITTERVS** Mathematicus, Me-

 chanicus

Digitized by Google

chanicus atque Physicus incomparabilis, rerum naturalium curiosarum nec non artificis ingeniosi manu subtili formatarum æstimator summus, cujus rariora, notatu certe digna, varia, cum plus vice simplici in itineribus Hercynicis nostrum animum oculorumque lumina recreaverint, operæ pretium duximus, quædam ex istis, & quidem principaliora, Tecum, bibliotheca pronunc intacta, communicare. Specifice hoc museum considerandum præbet scrinium, colore cinnabarino & aureo pictum, secundum altitudinem in medio bipartitum. Latus unum viginti numerat cistas, alterum sedecim visui offert thecas, quarum unaquæque rursus in 48. loculamenta, pro capiendis minutiis, subdividitur; quædam tantum in quatuor, pro majoribus recipiendis frustulis. Loculamenta minora numerantur 864, exceptis istis, quæ rursus per medium subdivisa. Loculi majores 72. adsunt. Totum hoc loculosum scrinium ex omni parte selectissimis lapidibus figuratis, conquisitis fossilibus, divitibus mineris metallicis & egregiis corporibus marinis repletum existit. Inter plures res naturales & prostant bini oblongi, ovales & rotundi lapides, in Sylva Hercynia reperti, *Tab. I.* quos vulgus superstitiosum nimisque credulum cum *Fig. I & II.* tonitru de cœlo delapsos putat, & hinc Donner-Kugeln vocat. Appositæ figuræ istos in magnitudine naturali *Fig. I. II.* oculis offerunt, & quidem *majorem* coloris ex albo-grisei, ponderis II $\frac{1}{2}$ semunciarum; *minorem* ex obscuro nigricantis vel atro-cinerei, in libra pendentem

tem $4\frac{1}{2}$ semunc. Apud neminem scriptorum Historiæ naturalis hactenus de his lapidibus aliquid nobis invenire licuit. *Dom. Ritter* in lucubratiuncula de Alabastris Hohnstein. pag. 15. hunc in modum de istis effatur: "*Globuli fulminares* a plebe falso sic putati, cre-
"dit de cerauniis similiter ac de his, quod in aëre ge-
"nerarentur, cum fulgare vero & tonitru in terram de-
"mitterentur. Horum duos possideo in proximis agris
"repertos; unum & forma & magnitudine comparo
"ovo gallinaceo, & est colore cinereo, cum maculis
"puniceis; alterum ovo columbino, nec enim ovum
"ovo similius quidquam poterit esse, color hujus ap-
"paret nigricans. Sunt vero nihil aliud, quam silices,
"qui hanc formam ovalem volutatione sunt forte ade-
"pti?" Referimus hæc concreta ad meros lusus naturæ, & quidem lapides mathematicos, qui figura sua ovis avium similes, quanquam variis coloribus ab iis differant. An sint forsan *Enorchides Boëtii?* hi *globuli fulminares* eundem usum, ac ceraunii lapides, Donnerkeile / habere dicuntur, projiciuntur nempe, turbida in nubibus orta tempestate, in cerevisiam, ne acescat. Joh. Jac. Weckerus de Secretis pag. 458. 481. inquit: "lapis, qui cum fulmine cadit, domum a ful-
"mine præservat" In Alsatia An. 1492. lapis de cœlo decidit. Confer. P. Stephan. Amiodt Germania in naturæ operibus admiranda. p. 48. Bina loca potius de lapide, quam globulo fulminari, intelligenda.

Lapis Hagel-Stein, Schlossen-Stein dictus, ex montibus Thuringicis, ponderat tres drachmas; it. similis in Sylvæ Hercyniæ jugis repertus, duarum *Fig. III.*

 tantum

Fig. IV. tantum drachmarum; ſinguli in naturali magnitudine appoſiti viſuntur. Prior coloris luteoli, poſterior nigricantis cum maculis albis; referunt ſplendore & politura vaſa Sinenſium porcellana, & exactæ ſunt rotunditatis. Beat. Scheuchzerus Part. II. Phyſ. p. 237. hos lapides Latino nomine vocavit *Galazias*. Nomen Germanicum habent a grandine, quam ſingnatura imitantur. Eſt & apud nos in muſeo *Galazia* ex ſylva Thuringica, globulum album politum exhibens, Fig. V. cujus magnitudo naturalis Fig. V. videnda. Omnes hi lapides ſunt lapides mathematici globulares ex luſu naturæ figurati.

Echinites rariſſimus Helveticus, coloris ex can-
VI. dido-brunni, venis albis diſtincti, vertica planiore, tuberibus quibusdam grandioribus, ſcutulis & papillis minimis donatus; in parte ſuperiori Dentalium petrifactum videndum. Confer. modo nominati Scheuchzeri Oryct. Helvet. p. 317. it. Liſter. Cochlit. Anglic. Tit. 20. it. Rumphii Amboin. Rar. Kamer. Tab. XIV B.

Echinites ferme rotundus Hanoveranus,
VII. cretaceus, non admodum durus ex albo cinereus, multis punctis albis, in quibus iterum punctula minora nigricantia, vix oculo nudo obſervanda, viſuntur, undique & ex utroque latere obſitus, primum a Nob. Dom. *Rittero* in Lib. Baron. de Kniggen prædiis inventus, ex cuius liberali donatione appoſitum Fig. VII. in muſeo noſtro monſtramus. Ruſtici iſtius prædii & vicinorum locorum hæc concreta lapidea interne vaccis adhibent, quando ſanguinem, loco lactis,
Fig. VIII. ex uberibus præbent.

Pectinites magnus, albus, calcarius, durus, alatus

tus & elegantiſſime ſtriatus, Hungaricus, ex lapidicina Kröſbacenſi ad Lacum Piſonis.

Teſſeræ luſoriæ foſſiles Badenſes.

Aëtites Orientalis, cordiformis, coloris brunni caſtanini.

Selenites rhomboidalis Islandica, diaphana, cryſtallum montanam optimæ notæ referens; ponderis $11\frac{1}{2}$ ſemunc.

MineraleSveticum octaëdron repræſentans. vid. Magnalia Dei in locis ſubterran. Part. I., p. 234.

Granatus Bohemicus, extraordinariæ magnitudinis, ponderis IX. ſemunc. cum tribus drachmis. *Fig. IX.* vid. Ibid. p. 193.

Parvum *cornu foſſile*, politum & rectum, ex antro ſubterraneo Schartzfeldiano, in magnitudine & longitudine naturali Fig. IX. videndum. Apex a. b. in terræ viſceribus detruncatus eſt. Os per ſe eſt ſolidum, in colorem ex albo-griſeum non admodum fortiter calcinatum. Per medium tranſit foraminulum exiguum quidem, c. filo tamen æneo tranſitum concedens, quod, dubio procul, nutrimenti ergo, a provida natura formatum? ubi literæ d. e. fragmenta quædam ab oſſe ſoluta, ita ut ſtructura interior lamellata videnda. Ponderis novem drachmarum. Nobiliſſ. Dom. Poſſeſſor quærit: cujusnam animalis ſit hoc cornu? noſtra mente, ſit pace Dom. Poſſeſſoris dictum, non cornu, ſed os eſt animalis; cujus vero? hoc cum doctiſſimis ignoramus.

Mineræ argenti rudis rubri optimæ in ſpatho albo & cinereo, ex metallifodina Samſonis Hercyniæ ſylvæ prædivite, lucem politorum & diaphanorum Rubinorum elegantiſſimorum de ſe ſpargentes & ex ſe emittentes,

tentes, quarum una XII. & altera X. thaler. æstimata.

Ren lapideus sive lapis scissilis limenaviensis, per medium longitudinaliter divisus, in cujus penetralibus frumenti arista, naturali similima, optime visitur.

Similis ren ejusdem loci $10\frac{1}{2}$ librarum, in quo piscis cum squamis, loco capitis autem anterior astaci fluviatilis pars, cum binis chelis, accurate cernitur.

Porro duo lapides adsunt ignoti, quos Nob. Dom. Poss. accepit sub nomine: Hertz-Stein von dem Vogel *Panjo* in *Japan*, cum encomio, quod proficui sint in morbo caduco. Prior splendide nigricans est, in uno latere planus, in cujus medio duo adsunt foraminula, in altero convexus, non plenarie $1\frac{1}{2}$ drach. ponderat, hujus magnitudinis.



Forsan est pedra Cobras de Cabelo? Alter lapis albus est, æque splendidus, politus, in basi non plenarie planus, in superiori parte convexus, in libra pendet $\frac{1}{2}$ drach. hujus magnitudinis.



Superficies scrinii externa fluoribus metallicis, variis a natura pictis coloribus, mirum in modum concretis, vulgo Drusen / mineris Lunæ & Veneris divitibus, statuis & pyramidibus Alabastrinis, &c. exornata est.

Alterum

Digitized by Google

ALterum ſcrinium, priori viſo & admirato, viridi colore oculis blanditur, januas vitreas & baſin cum tribus loculis, in quorum ſubdiviſis cellulis variæ res naturales aſſervantur, habet. In ipſius ſcrinii aſſeribus, remotis januarum clauſtris, oculis ſe ſtatim objiciunt:

1. *Anatomiæ binæ artificiales* erectæ, in baſi ſua ſtantes, pedem cum ſeptem unciis altæ, una nobiliorem, altera ſequiorem, anatomice diſſectum, ſecundum omnes principaliores hominis in- & externas partes, viſcera medii & infimi ventris cum vaſis majoribus in ſitu naturali, oſtendunt ſexum. Singulæ ſtatuæ humanæ, ad omnes corporis dimenſiones, affre ex ligno ſculptæ, coloribus naturalibus pictæ ſunt. Singula viſcera, melioris conſiderationis ergo, ex thorace & abdominis pelvi eximi poſſunt.

2. *Oculus Muhtii artificialis* qui optimus & omnium hactenus inventorum perfectiſſimus, ex ebore candido ab ipſo autore curatiſſime paratus. Confer. Oculus humanus artificialiter conſtructus, oder Structur des menſchl. Auges nach Kunſt verfertiget / wird verfertiget von Henr. Lud. Muth, Mathematico & Machinator: bey welchen viele andere Mathem. Optiſche Gnomiſche und phyſical. curioſ. und Raritäten verfertiget werden. 8. Fr. am Mayn 1709. cum fig.

3. *Oculus artificalis Noricus* ex eodem dente elephantino confectus.

4. *Oculorum artefactorum*, coloribus naturalibus Norimbergæ ex vitro ſemipellucido (Schmeltzwerck) arte fuſoria in igne fuſorum par, quales in oculorum caſu & ruptura, ad orbitas excavatas replendas, chi-

rurgi, Gallis operateurs dicti, in usu habere solent.

5. *Auris ex ebore polito artificialis* admodum, quem celeber. Valsalva docuit, & aurem naturalem humanam ejusque ossa, emendate & eleganter ab artifice perito sculpta, auri humanæ ad amussim, ut ovum ovo, corvus corvo, similis, ita ut ars, nec quod ad interna, nec quod ad externa, ulterius quid melius addere potuerit.

6. *Statua monialem religiosam* cum vestitu Ordinis St Benedict. representans, in qua automaton recte latet. Hæc nonna, automato in motum circumacto, in terra vel mensa per horæ quadrantem progreditur, &, quod maxime mirum, ad certas distantias flexis genubus adstantes quasi veneratur & reverentiam suam iis officiose præstat. Inventum est ipsius ingeniosi Domini possessoris certe elegantissimum.

7. *Cervus ex ligno* non minori artificio, quam Monialis prædicta, automato instructus, ingeniose pulchreque paratus & exasciatus, ad motum automati cursitat.

8. *Nummus quidam*, ut perhibetur, magicus, cujus inscriptio C. C. usto pulverisato deleta, igne carbonum rursum in apricum producitur. Prostat & in nostro museo numisma, vel amuletum potius, ex argento cupellato conflatum, quod, de collo suspensum, impenenetrabilitatem armorum possessoribus suis pollicetur. Signatura in isto monstrat signum crucis a Constantino M. gloriosissimo Imperatore, in cœlo visum. Moranus
Tab. I. Fig. X. memorat, quod hic character dicto Imperatori, sole meridiano sereno, cum toto suo exercitu, in nubibus apparuerit, quem quidam crucem fuisse perhiberent, cum eprigrammate: in hoc signo vinces. Hoc signum crucis in argento pro lubitu nunquam non pulvere

C. C.

C. C. usti deletur, quod tamen rursus semper in carbone candente, additis literis: in hoc signo vinces: apparet. Happelius Relat. Curios. Part. IV. p 291. 296. 534. communicat magicum quid contra arma, sed nullam fidem merentur ejusmodi amuleta. Medium, se impenetrabilem reddere, ita ut globulus quasi enervatus & sine viribus ante pedes concidat, sequens, his paucis comprehensum verbis: Aus des HErrn Christi Wunden läufft Wasser und Blut/ sie jähren nicht/ sie schwären nicht/ sondern stehen still: prædicatur. Sed est impium & superstitiosum. Modum dicta numismata parandi docent die geheime Unterredungen zwischen zweyen vertrauten Freunden / einem theologo philosophizante und philosopho theologizante von der Magia naturali &c. zum Druck gegeben vom Collegio Curiosorum in Teutschland 8v. 1722. p. 161. it. Celeb. Prof. Wolffius in den Versuchen. Cap. X. von dem Licht und Farben p. 536.

9. *Capsula* variis, & proportionali, circulis, juxta ac Dioptra (Wasserwage) repleta, affabre certe & eleganter ex argento a Dom. Chapotot, Lutetiis Parisiorum, confecta, perquam commode in itineribus secum portanda.

10. *Numerator passuum* orichalceus, Schritt-Zehler.

11. *Varia pulchra microscopia*, singula differentis moduli bonæque inventionis, simplicia & composita, & quidem *a*) Microscopium compositum majus, quatuor vitris, quæ omnia, & minutissima corpora horumque pulveres inpalpabiles exactissime repræsentant & multoties exaggerant, roboratum; tubuli ex aluta Hispanica coccinea hinc inde deaurata parati; capsulæ & basis stativa ex ligno Brasiliensi rubro artificiose tornatæ. *b*) eodem modo paratum aliud, tubulis ex charta Perga-

mena rubra, viridi & deaurata paratis; capſulis & baſ ex ligno olivario polite & pulcre tornatis. c) Idem ex tribus compoſitum vitris, quod tubulos ex charta membranacea varie punctata, & capſulas cum baſi ex ligno nuceo marmoreo optimo, conſtructos habet. (d) Microſcopium majus, intra cujus quatuor parietes vitreos cilyndrus quinquangularis variis figuris, ſtatuis parvis & elegantibus, aliisque pluribus objectis, conchyliis minorum gentium marinis, ſeminibus plantarum exiguis, vitrisque coloratis exornatus; gratam oculis, qui delectatione nunquam ſatiari poſſunt, recreationem, mentique jucunditatem haud levem, cum & minutiſſima egregie præſentet & in infinitum augeat, affert. Et plura alia a ſe invicem diſcrepantia microſcopia ſimplicia ebore, orichalco, ligno olivarum, ebenino, &c. vincta.

12. Porro *Polyedrum.*

13. ***Vitrum cauſticum*** magnum.

14. ***Priſma trigonum*** album & cryſtallinum. it. & ex vitro cœruleo confectum.

15. ***Speculum minus concavum***, quod mirum in modum objecta auget, ſimulque vitri cauſtici vires exerit.

16. ***Oculus artificialis*** ad viſionem demonſtrandam, tribus vitris inſtructus, cujus domicilium ex ligno radicum juglandis arboris conſtructum. Idem binis ſaltim vitris, cujus capſula lignea vernice Sinenſium perpulchre incruſtata.

17. *Exemplar*, quod Modell vocant, ***munitionis Vaubanianæ*** emendatæ, optime ex alabaſtro candido ad radium geometrarum imminutum elaboratum, cujus cingulum quadraturæ lapidis latus ſeptem & dimidium adæquat pollices.

18. ***Speculum*** magnum ***illuſorium*** & ludificum prius, cum

cum variis imaginibus ſymbolicis exſciſſis vitroque tectis, regulis rubra vernice & ſtriis aureo colore inductis, incluſum. it. & poſterius, aliis imaginibus condecoratum, margine vernice cœrulea & aurea colorato.

19. Varia *ſolaria*, inter quæ conſiderandum merito *a*) ſciatericon magnum univerſale orichalceum, acu magnetica inſtructum, quod præter horas, & temporis momenta juxta ac menſes accurate deſignat. *b*) Magnum annulare horologium ſolare ex orichalco conflatum, in baſi poſitum, quod æque univerſale eſt, & elevationem ſolis annotat. *c*) Novæ inventionis magnum ſolarium orichalceum annulare, vulgo eine Rinck-Sonnen-Uhr/ cum quadrante, pyxi nautica & diſco dividuo, Theil-Scheibe/ in baſi lignea vernice rubra & aurea depicta poſitum, columnellisque parvis exornatum. *d*) it. Dresdenſe, minima momenta horarum ſimul exhibens.

20. Varia *hygroſcopia* accurata & elegantia, non unius ejusdemque moduli.

21. Plures *ſtatuæ hydraulicæ*, affabre ſculptæ, cum baſi ferme pedem altæ, ad vivum coloribus pictæ. In viſceribus latent tubuli plumbei tecti & abſconditi, qui per novem, usque duodecim, ſtatuarum foramina aquam, mirando ſpectaculo, in aëra cum impetu mittunt. (*a*) Neptunus, pede balænæ inſiſtens, tridentem manu gerens: Deus & piſcis ex novem tridentis, oculorum, aurium, narium & oris aperturis aquam, lineis rectis & ſemicircularibus, ſurſum & deorſum, ejaculantur. (*b*) Venus calva, tres pedis partes alta, ex ſex oculorum, aurium, oris & iſto, quem noſtis, fonticulis aquam ſaltuatim in aëra protrudit. (*c*) Æthiops, ex cujus ore aperto aqua in linea perpendiculari in altum exultat.

22. *Aſbeſtus Aſiaticus & Hungaricus*, chartaque ex

 iſto

Digitized by Google

isto in Hungaria parata. De his vide nostram lapidis Asbestini Hist. natural. 4t.

a) Ut sexcentas alias minutias, consideratione tamen dignissimas, silentio prætereamus; mentionem saltim quorundam lapidum curiosorum addere pronunc placet. primo adsunt *Conchæ læves anomiæ* ventricosæ, margine sinuoso præditæ, pulchræ, in monte Goslariensi, der Treppenberg vocato, inventæ.

TAB. II. Fig. I.

b) *Conchæ anomiæ* minutæ, quarum nonnullæ instar cornu semipellucidæ, minutissimis striis conspicuæ, duplicatæ, margine sinuoso, elegantissimæ; elisæ ex lapide calcario in Præfectura Wolffenbüttelensi, Langensheim dicta, obvio.

Fig. II.

c) *Encrinus, vulgo* Lilien-Stein, In monte der grosse Katzenberg, prope Goslariam inter trochos, conchas venereas, anomias, striatas, &c. reperitur. Est proprie stella marina petrifacta confer. de hoc lapide Thesaurum nostrum subterraneum Ducatus Brunsuigii; it. Celeb. Harenbergii Lilium lapideum; it. Rosini tentamen de lithozois & litophytis, it. Dom. Linckii lib. sing. de stellis marinis. &c. in fol.

Fig. III.

d) *Echinites quinquangulo ornatus*, cujus singulis lateribus insistit triangulum, vel cujus superficies ornatur cruce a plebe ein Alpkreutz / ein Truttenkreutz dicta; in spatiis intermediis & lateralibus quoque adparent triangula parva rectilinea, & mixtilinea. Repertus est ad pagum Langelsheim in monte calcario.

Fig. IV.

e) *Astroites seu lapis solaris* arenosus albicans innumeris solibus radiosis refertus, intermixtis cochleis, conchis, interdum &, licet raro, hysterolithis. Reperitur in monte Bructero, & in Sylva Hercinica non procul a diversorio, urogalli signum gerente, it ad urbem Goslariensem, & in Ducatu Blanckenburgico ad pagum Hütten-

Fig. V.

Digitized by Google

Hüttenrode, qui omnium optimus & plane ferreus.

Echinites rotundus major, sulcis & punctulis distinctus, calcarius, Selenite cæsia tenuissima tectus, it. & *cordatus*, a forma cordis externa; utrique in lapicidina calcaria Goslariensi vid. plura de egregia Dom. possessoris fossilium collectione in ejusdem oryctographia Goslariensi, it. Lucubratiuncula I. & II. de Alabastris. 4t. *Fig. VI.* *Fig. VII.*

Tegmen scrimine æque fluoribus metallicis mire concretis, & Quarzis selectis, mineris argenti & cupri ditioribus, pyramidibus alabstarinis & statuis gypseis condecoratum.

Præcipua nunc extra scrinia memorabimus: 1. *Laternam magicam* binis vitris politis & speculo metallico instructam, ad quam ducenta vitra, in quorum 91. historiæ sacræ, & in reliquis 109. profanæ, optimis & pellucidis coloribus elegantissime pictæ, visuntur, pertinent. Hæc machina certe perfectissima est, & cum evidenti perspicuitate & luce clare nitente omnia objecta in magnitudine naturali oculis adstantium, non sine summa admiratione, offert. Cum imaginibus superat pretium 50. thaleror.

2. *Cameram obscuram* portatilem, quæ imagines & in situ recto & subverso distincte præsentat.

3. *Tubum cœlestem*, it. *terrestrem* decem pedum, ex tubulis ex bracteis ferreis stanno inductis compositum.

4. *Bombardam*, qua pyropolarii utuntur, eine Granaten-Büchse.

5. *Astrolabium*, & *mensulam Prætorianam* cum omnibus requisitis.

6. *Barometrum Morlandinum*, & alia diversæ speciei.

7. *Magnam piscis serram*, quinque pedes longam, unum cum duabus unciis latam ponderis $16\frac{1}{2}$ librarum; adhuc aliam ejusdem proceritatis, sed non ita latam imo & pondere leviorem.

8. *Ovum Struthionis* magnum & elegans.

9. Duas *Indicas nuces*, *Cocus* dictas, extraordinariæ magnitudinis, omnibus adhuc crinitis suis integumentis involutas.

10.

Digitized by Google

10. *Priapum Ceti* cum ſcroto, haud vulgaris magnitudinis, ſeptem pedes longum, cujus craſſities inferior maxima ad unum pedem & quatuor pollices plane accedit, pondus autem ſuperat 15½ libras.

11. *Cornu Turcicum* ex oſſibus balænæ ſeu coſtis ſartoriis, vulgo Fiſchbein, confectum, cujus ferrum deauratum eſt & Damaſcatum.

12. *Corallii albi* fruticem Corallen-Zinck, ramoſum admodum, craſſum pedem altum, & dimidium pedem latum.

13. *Arcum baliſtarium* ornamentis eburneis, quæ ſimul annum, quo confectus, exhibent, hinc inde condecoratum. Plures, quam 104. annos jam numerat.

14. *Magnetem* optimæ notæ armatum & capſula orichalcea incluſum, qui ferrum duarum librarum non tantum velociſſime ad ſe rapit & attrahit, ſed & in aëre ſuſpenſum retinet.

15. *Stateram* magnam aurificum, cum requiſitis ponderibus.

16. *Modulum campanæ urinatoriæ* cum urinatore.

17. *Ectypa* elegantia *munitionis Voubanianæ*, cum omnibus caſtellis, ad normam geometrarum imminutam, ex unico Alabaſtri candidi fruſto artificioſa manu elaborata & pulchre cælata. Lapidis quarta pars adimplet duos, & dimidium, pedes. Elegantiſſimum hoc artefactum pluribus delineatum in Dom. Poſſeſſoris lucubrat. I. de Alabaſtris p. 6.

Ultimo & adeſt Atlas major, 300. continens mappas geographicas optimorum autorum, & Gallorum, & Batavorum, & Germanorum, interpoſitis optimis proſpectibus, ichnographiis magnarum & præcipuarum mundi urbium, viridariis & prætoriis amœnis nemoroſisque magnorum Principum, &c.

18. *Libram Peraltianam.*

19. *Vectem homodromum*, quem vulgus eine Schnell-Wage vocat, in quo XL. libræ ponderantur.

20. *Tubum acuſticum* ex laminis ferreis, collo tortuoſo compoſitum.

Et hæc ſunt, *Vir Prænobiliſſime*, quæ hac vice de hoc inſtructiſſimo muſeo Ritteriano Tecum communicare potuimus. Bene feliciterque vale & ama

Wolffenb.
d. 1. Jun. 1734.


Tibi addictiſſ.
Brückmann, D.

(o)

54815

Google

Tab. I. Ad Ep. It. XXXII







Digitized by Google

33

Tab: II. Ep: Pt: XXXII.



Digitized by Google





Digitized by Google